Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift

faciem potentis et ponas scandalum in agilitate tua. Non pecces in multitu-
dine ciuitatis. nec te inmittas in populum: neque alliges duplicia peccata:
nec enim in uno eris inmunis. Noli esse pusillanimis in anima tua: ex
orare et facere elemosinam non despicias. Ne dicas in multitudine mune-
rum meorum respiciet deus: et offerente me deo altissimo suscipiet munera
mea. Non irrideas hominem in amaritudine anime: est enim qui humili-
at se et exaltat circumspector deus. **De mendacio uitando contra amicum.**
Noli amare mendacium aduersus fratrem tuum: neque in amicum simi-
liter facias. Noli uelle mentiri omne mendacium: assiduitas
enim illius non est bona. Noli uerbosus esse in multitudine presbiterorum: et non
iteres uerbum in tua oratione. Non oderis laboriosa opera: et rusticatio-
nem ab altissimo creatam. Non te reputes in multitudine indisciplinatorum.
Memento ire: quoniam non tardauit. Humilia ualde spiritum tuum: quoniam uindic-
ta carnis impii ignis et uermis. Noli preuaricari in amicum pe-
cuniam differentem: neque fratrem carissimum auro spreueris. Noli discede-
re a muliere sensata et bona: quam sortitus es in timore dei. Gratia
enim uerecundie illius super aurum. **De Seruo bono.**
Non ledas seruum operantem in ueritate: neque mercennarium dantem
animam suam. Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua. Non
defraudes illum libertate: neque inopem derelinquas illum. Pecora tibi sunt
attende illis: et si sunt utilia perseuerent apud te. **De filiis.**
Filii tibi sunt erudi illos: et curua illos a pueritia illorum. Filie tibi sunt serua
corpus illarum: et non ostendas hylarem faciem tuam ad illas. Trade filiam
et grande opus feceris: et homini sensato da illam. Mulier si est tibi se-
cundum animam tuam non proicias illam: et odibili non credas te in toto corde.
Honora patrem tuum et gemitus matris ne ob **De parentibus.**
liuiscaris. Memento quoniam nisi per illos non fuisses: et retribue il-
lis quomodo illi tibi. **De timore dei et honore sacerdotis.**